H. Nicolai
Theses
ex Ecclesiaste Salomonis
c. I — III.
Disp. I–II.
Hafn., 1613.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-128 4° 1037




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-128 4° 1037


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-128 4° 1037



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-128 4° 1037



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-128 4° 1037



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-128 4° 1037

1,-128. -4 (1+2)
DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°
1 1 01 0 4 01037 X
+REX
BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-128 4° 1037

THESES

ex

ECCLESIASTE SALOMONIS, DE HOMINIS FELICITATE: IN

quibus ſpeciatim expenditur qvæſtio capitis primi: An ſcientia felicitati conducat?

Quas

D. O. M. A.

Ad diem 18. Decemb. in publicam diſputationem proponet

HERMANNUS NICOLAUS:

Reſpondente

TORBERNO JACOBI HASEBARDO Hafn.

HAFNIÆ,

Typis Henrici Waldkirchij, Anno M. DC. XIII.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-128 4° 1037

1 Hermannus Nicol. Ecclesiaste
2 De dicto 1 Cor. 7. Liberi vestri sunt sancti
3 Jacobi Hermanni Centuria Quaest.
4 — edem de Justificatione
5 Elmerus in Ps.
6 Varrenius de Proved. et Praedest:
7 Vandalinus in Epist. Judae.
8 Eques Polonus adversus Jesuitas.
9 Quensted: de Mausfim
10 De Nativitate Christi
11. De verbis Act. 3.
12 Resenius de verbo Dni
13 Varrenii Theolog. controvers.
14 Vandalinus de Creatione
15 Mylius de Visitatione
16. Joh. Christopher. variaria Exercit.
17. Meisnerus de Naturali Dei cognitione
18 Joh. Vorst. de Stilo N. Test.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-128 4° 1037

THESIS I.

CUm univerſæ vitæ noſtræ caput & finis ſit Felicitas, ad eamq; omnes homines naturâ duce ferantur; In communi autem illo ejuſdem rei conſeqvendæ ſtudio & conſenſu, tanta animorum diſſenſio & diverſitas depræhendatur, ut interea complures à vero fine in tranſverſum abripiantur: voluit Deus humani generis author & conſervator, de certa felicitatis ratione in verbo ſuo certa teſtimonia ad hominum poſteritatem extare, in quibus fluctuantes animi acquieſcerent, & tutò conſiſterent.

II.

Teſtimonia illa luculenter expreſſa leguntur cùm in alijs ſacri codicis libris, tùm vel inprimis in Eccleſiaſte, ſive concione Salomonis ad populum Hebræum habitâ; qvæ in hac felicitate explicanda tota verſatur. In qva pro incredibili ſapientia, qvâ cœlitùs ipſe perfuſus erat, vitam & mores hominum ſic inſtituit, ut univerſas eorum occupationes & ſtudia vanitatis arguens, veram felicitatem eſſe definiat DEI TIMOREM, & qvod hunc conſeqvitur Summum bonum.

III.

Nos ut præſentem διάσκεψιν ad noſtrum inſtitutum accommodemus, concionem iſtam θετικῶς proponamus; ut perceptâ quæ in ea traduntur præceptorum ſalubritate, poſt uſum grammaticum publicis prælectionibus hactenus propoſitum, eandem non incommodè ad anniverſarium diſputationis exercitium traxiſſe videamur.

IV.

Ut autem aſſumptam in manus diſputandi materiam commodiùs tractemus, pauca de Authore, occaſione argumenti & methodo, veroq; ſententiarum uſu prælibare, ratio ipſa materiæ jubet: qvæ ut neglecta tenebras offundunt, ſic intellecta huic diſqviſitioni lucem haud mediocrem afferre videbuntur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-128 4° 1037

V.

De Salomone ſcriptura pronunciat, Regem eum fuiſſe opibus non ſolùm & potentiâ, verùm etiam ſapientiâ Theologicâ & Philoſophicâ ad miraculum uſq; inſtructiſsimum, 1. Reg. 4. qvam ipſe peculiari munere conſecutus eſt, cùm ſapientiam ante omnia à Deo expeteret.

VI.

Poſtqvam is Regnum præclarè adminiſtraſſet, tandem ſeductus ab uxorculis in idololatriam prolapſus eſt, diciturq; corde ſuo receſsiſſe à Deo Iſraelis. Quod quidam ita expendunt, ut de ipſius ſalute, & fide librorum, qvos poſteritati reliquit, gravem dubitationem inijciant. Verùm nimis rigidâ & corneâ fibrâ cenſores, qvi in virum tam illuſtrem, qvem Chriſti ſui typum Deus eſſe voluit, id juris ſibi aſſumunt.

VII.

Quippe non exiſtimarim tanti viri lapſum ideò Eccleſiæ propoſitum eſſe, ut de rebus ad noſtram cognitionem non ſpectantibus temerè pronuntiemus; verùm ut hæc exempla noſtrę potius ſaluti inſerviant, noſq; commonefaciant, qvantâ curâ & circumſpectâ ſolicitudine opus ſit, cùm ab erroribus & communis corruptèlę infauſtis ſeminibus non immunes ſint etiam ſanctiſsimi & pręſtantiſsimi qviq;.

VIII.

Quod igitur hinc bellè ſeqvitur; Non omnes circumſtantię graviſsimi lapſus id convincunt, ut teterrimę defectionis ignominia ad ſcripta Salomonis redundet; cùm norma veritatis, qvę in illis traditur, ab analogia ſcripturę canonicę non diſcrepet, nec Salomon librorum ſuorum primarius Author cenſendus ſit, ſed tantùm ſcriptor atq; interpres.

IX.

Ejus libri ad memoriam noſtram tantùm tres pervenerunt. Primus qvi adoleſcentię conſecratus eſſe videtur, continens pręcepta morum & fundamenta religionis, qvem ſcriptura מִשְׁלֵי שְׁלמה appellat. Alter qvi provectiori jam ętati eſt commendatus, in qvo de rerum humanarum vanitate vitiorumq; contemptu & divinis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-128 4° 1037

preceptis ſervandis, Deoq; unicè colendo agitur, Hebreis קֹהֶלֶת dictus. Tertius deinq; שִׁיר הַשִּׁירִים qui de ſponſę & ſponſi amore carmen continet.

X.

De medio hîc ſermo eſt inſtitutus. Cujus argumentum, finis & ſcopus, eſt doctrina de vero bono, rerum humanarum & fortunę contemptu, verâq; felicitate conſeqvendâ; qvę ſummatim tali ſyllogiſmo connexo primo includi poteſt. Si in hac vita magna eſt rerum & occupationum humanarum vanitas, nullaq; vera felicitas, niſi qvę hic inchoatur tantum, eiſq; ſolùm, qvi Deum timent & mandata ejus obſervant, ſummoperè omnium hominum intereſt, ut felicitatem quęrant non in rebus pręſentibus, ſed in ſolo timore Dei, & obſervatione mandatorum ejus: ſed verum eſt prius: Ergo & poſterius.

XI.

Occaſio hujus Argumenti gemina fuiſſe videtur. Una, ut Salomon hoc ſolemni ſcripto imbibitam ab uxoribus idololatriam abjuraret, & recipiſcentiam publicè teſtaretur, ſicq; cum Eccleſia in gratiam rediret. Altera Sapientum de vera felicitate variè philoſophantium diverſitas, qvorum omnium ſententias errores atq; incertitudines eſſe (ipſe hujus qvęſtionis maximè idoneus arbiter) hic palàm profitetur.

XII.

Methodus verò concionis κατ' ἀπόφασιν καὶ ἀνασκευαστικῶς, negativè & refutando inſtituitur. Quoniam enim bona pars hominum felicitatis nomine & ſpecie circumventa, felicitatem in alijs atq; alijs rebus quęrit: primò oſtendit in rebus & ſtudijs humanis nullam eſſe felicitatem, cujus demonſtrationis τὸ μέσον, à contrario ſumptum eſt, cùm ſc: in eis ſumma ſit vanitas. Quod deinceps ex illuſtrium vitę partium luculenta inductione probatur, videlicet, qvòd nec ſit in ſcientia rerum, nec in voluptate, nec prudentiâ civili, nec aliâ virtute, aut qvoqvam alio vivendi genere, ſive privatarum, ſive illuſtrium perſonarum.

XIII.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-128 4° 1037

Deinde per κατάφασιν affirmati ſubjecti indicatur, qvid ſit felicitas, nempe DEUM TIMERE, veroq; ac minimè fucato amore ipſi adhęrere.

XIV.

Hiſce duobus primarijs ſaluberrimę concionis capitibus tertium accedit, de vero ejus uſu, in qvo explicando perq; omnes vitę partes diſſerendo, magna diſputationis pars conſumitur. Illius verò uſus duplex ἐνέργεια diligenter aſsignatur; nempe, ut & animi adverſus rerum vanitatem atq; hinc natam impatientiam & dolorem, commodis remedijs muniantur: & de vita piè honeſtèq; agenda, ſeria cogitatio inſtituatur.

XV.

Porrò ad uſum illum veramq; contextus intelligentiam qvod attinet, cùm Salomon ſubinde inculcet, ſcientiam cunctaſque res vanas eſſe; eundemq; hominis & pecudis; ſtulti & ſapientis eventum; neſcire hominem amorem Dei vel odium; nihil melius eſſe homini, qvàm lętari, edere & bibere; & id genus alia &c: nos ut hinc variè naſcentes errorum occaſiones declinemus, ex hac doctrina certa axiomata ſive principia nobis proponemus, ad qvę ubiq; in ſententia verborum inveſtiganda totoq; diſputationis curſu nos referamus.

XVI.

Primò: Salomonem, utut res ipſas apertè ſimpliciterque proponere videatur; ſępè tamen non in genere, ſed in ſpecie & contra, loqvi: ſępè etiam non ex ſuo judicio, ſed rationis ſenſu, qvę ſolum ex rerum externo eventu concludit, verba facere. Nimirum haud raro de induſtria talem inſtituit orationis formam, ut tantò manifeſtius humanę rationis imaginem ob oculos ſtatuat.

XVII.

Deinde non ex ſermonis parte aliqva, de tota oratione eſſe pronuntiandum; ſed univerſam ipſam, facta antecedentium & ſeqventium collatione, ex ſuis circumſtantijs ęſtimandam. Quippe ἀνακόλουθον partibus non perſpectis de toto ſententiam inferre:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-128 4° 1037

cùm multa ſæpè dicantur κατὰ μέρει & veriſſimè qvidem, qvæ per ſe & ἁπλῶς ſumpta minimè vera eſſent.

XVIII.

Præterea Salomonem non res ipſas & creaturas Dei bonas, ſcientiam, artes, aut jucundum rerum uſum improbare, cùm artes ſint præclara vitæ præſidia, in qvibus grata de Deo fama ſparſa eſt, ut Plato loqvitur: ſed humani ingenij pravitatem arguere, hominumq; ſtudia & operoſas contemplationes creaturis Dei abutentium incuſare, adeoq; vanitatis culpam non in creaturam, ſed in hominem illius cauſam & ſubjectum rejicere.

XIX.

Inſuper horum præceptorum, qvæ ſæpè merè civilia eſſe videntur, atq; ad hanc vitam ſolum pertinere ratio judicaret, fundamentum notandum eſſe, ut à politicis & philoſophicis præceptionibus diſtingvantur, cum qvibus alioqvi verbis & ſententia convenire videntur: Ne Salomonem eodem cum Heſiodo, Pythagora, Socrate & cæteris humanæ ſapientiæ magiſtris numero habeamus: cum verbis perſpicuis ipſemet affirmet doctrinam ſuam intelligendam eſſe, qvam ab ipſo Moſe legis miniſtro, vel potius Chriſto æterno Eccleſiæ ſuæ doctore hauſerit.

XX.

Hiſce ſubſtratis fundamentis, non ambigua erit totius concionis ſententia. Cujus propoſitio generalis verſu 2. C.1. explicatur, primùm negativè argumento à contrarijs ſumpto, nempe vitæ humanæ vanitate, qvæ felicitati è diametro repugnat. Ac plana eſt hunc in modum tota demonſtratio ἀνασκευαστικὴ; felicitati nil tàm repugnat qvàm vanitas; Atqvi in omnibus vitę humanæ partibus longè lateq; dominatur vanitas; Ergo in hiſce partibus omnibus non eſt felicitas.

XXI.

Aſſumptum longo inductionis ambitu probatur, per enumerationem partium, ex qvibus vanum coaleſcit. Quarum omnium facta ſubductione, generalis hæc enuntiatio remanet: הֲבֵל הֲבָלִים הַכֹּל הָבֶל, Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.

Hoc

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-128 4° 1037

Hoc enim dixit קֹהֶלֶת, non unus aliqvis è media plebe Philoſophus, ſed Eccleſiaſtes, nempe Is, qui rerum omnium cauſis ſingulis perſpectis, veram & ſolidam de rebus à Deo peculiari munere ſcientiam tulit.

XXII.

Sed vocabulum generis הַכֹּל omnia, generalem ſententiam pro ſpeciali latè tamen patente proponit, per Synechdochen hyperbolicam ſcripturę familiarem. Qualis eſt 1. Ioh. 5. v. 19. ὅλος ὁ κόσμος ἐν πονηρῷ κεῖται. Pro, magna pars mundi, ſeu hominum.

XXIII.

Non igitur hæc ſententia ſimpliciter intelligenda venit, (ex fundamento primo) ſed ſpeciatim, ex parte, & comparatè. Nam primùm ab omni vanitate excipitur Deus, ejuſquè verbum Pſal. 19. Deinde res creatæ, qvatenus ordine ſuo feruntur, Deique gloriam & hominum uſum reſpiciunt. Hinc hominum actiones & officia, qvæ verbo Dei reguntur. Qvocirca appellatione *Omnium* & *Vanitatis*, tantùm intelliguntur res humanæ, hoc eſt, negotia, ſtudia, conſilia, actiones & occupationes hominum vanæ. Nā de humana felicitate diſputatio hic eſt inſtituta: à qva cum demonſtrandum ſit hominem longiſſimè abeſſe, dum eam ſuo ingenio metitur, qværitq; in rebus præſentibus; illius tantùm, hoc eſt, hominis vanitas eſt oſtendenda, non rerum creatarum.

XXIV.

Interim non diſſimulandum, Res duplici ratione vanas dici. 1. enim res alioqvi bonæ, ſi cum Creatore conferantur, qvid firmum & ſtabile in ijs depræhenditur? Non enim habent ſubſiſtentiam à ſeipſis, ſed à Deo, cujus ſolius eſſe eſt à ſeipſo, & incommutabile.

XXV.

Deinde reſpectu hominis, qvi per prævaricationem ſubjecit eas vanitati, Rom. 8. 19. Homo enim omnia ſecum traxit in ruinam. Qvo fit, ut poſtqvam is ordinem violavit, exinde donis Dei multipliciter abutatur, ejuſque reſpectu res vanæ dicantur. Plana eſt

igi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-128 4° 1037

igitur, ex mente Salomonis ſententia noſtra: **vana eſſe omnia ſc:** de quibus & qvatenus Salomon hic loqvitur.

XXVI.

Porrò aſſumptum more Hebræorum, interrogatione figuratum confirmatur. v: 3. Primùm generali teſtimonio experientiæ apud omnes: aut ſi mavis, è duplici hominis adjuncto communi, *labore ſ: & morte*; qvæ tanqvam duæ ſpecies genericæ omnes alias vitæ humanæ vanitates ac miſerias ſub ſe compræhendunt.

XXVII.

Non enim in labore hominis felicitas ejus. Laborem intelligimus ſine fide & gratia Dei, ſeu inanem hominis cum animi conjuncta ſolicitudine occupationem, qva homo ſe excruciat ſub ſole, ut ille ἑαυτὸν τιμωρούμενος. Nam illa emphaſis eſt vocabuli עֲמָלוֹ, qvod non laborem ſimpliciter, ſed laborem cum moleſtia, anxietate, & defatigatione conjunctum ſignificat; qvaſi laborando ſe afflictare & torqvere, qvo in genere ſæpe ſunt ſagaciſſimi qviqve & maximè induſtrij.

XXVIII.

Altera communis vitæ humanæ vanitas, qvæ ſpectatur ratione mortis, inſtituitur v: 4. 5. 6. 7. per antitheſin cum rebus alijs, ex qvarum firmiore ſtatu, hominis vanitas oſtenditur. Nam ſunt in hac naturæ univerſitate rerum certa qvædam & conſtituta genera, qvæ definitè conſervantur. Terra in medio mundi, immota permanet, Pſal. 103. 6. Sol, venti & flumina perpetuâ qvadam converſione, & irreqvieta viciſſitudine abeunt & redeunt: At homo poſtqvam ſemel obijt, non ampliùs in mundanam ſcenam progreditur, qvam antitheſin Catullus eleganti verſu expreſſit.

XXIX.

Hic verò ſeorſim conſideratione digna eſt Salomonis Phyſica, de ſtabilitate & qviete terræ, qvæ confirmatur Pſal: 119. 90. & alibi, de motu ac revolutione Solis & ſyderum, item de generatione fontium & fluminum ex Mari, conferenda cum ijs, qvæ diſputat Ariſtoteles 1. Meteorolog: C. 13.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-128 4° 1037

XXX.

Hæc autem humani generis incertitudo, qvòd ita ſinguli homines qvotidiè intereant, motuque inſtabili commutentur, ut ætas ætatem varijs viciſſitudinib. excipiat, fiantq; inſignes diſtractiones, hominum, familiarum, Civitatum, & Regnorum &c. expreſſis vocabulis הולך & בָּא, abeundi & veniendi indigitatur. Quibus opponitur verbum ſtandi עָמַד qvo immota terræ firmitas humanæ mutabilitati oppoſita exprimitur.

XXXI.

Poſt duas generales *laboris* & *mortis* miſerias, aliæ ſpeciales ſeſe offerunt, ac præcipuè vanitatem in ijs rebus animadvertere licet, in quibus ratio ſummam felicitatem ſtatuit, cujuſmodi ſunt res ſupra enumeratæ, ſapientia, voluptas, virtus civilis, honores, opes &c. & harum rerum parandarum ſtudium. Et quidem ut de *ſapientia humana* ſpeciatìm in ſeqventibus agamus, operæpreciùm eſt intelligere, qvemadmodum vanam eam eſſe Eccleſiaſtes oſtendit, à v: 8. ad finem uſq; c. 1.

XXXII.

Sapientiam intelligimus ex mente Salomonis, eodem ſenſu, qvo Apoſtolus σοφίαν attribuit ijs, qui crucis ſimplicitatem enervant. Hæc autē primum ab humani ingenij infirmitate vana eſſe arguitur, facta ſc. comparatione cum rebus ipſis, in qvibus percipiendis ſumma difficultas atq; obſcuritas ineſt. Et haud ſcio, an poſſit argumentum hoc ipſo ad humanæ ſapientiæ vanitatem accommodatius demonſtrandam adduci. Cum enim ingenium ſit potior pars hominis, hoc autem rebus compræhendendis non ſufficiat; qvomodo vanum non fuerit, de illis pro arbitrio conſtituere?

XXXIII.

Forma hujus ratiocinij talis eſt: Res ita ſunt cognitu difficiles, ut nemo eas lingvâ explicare valeat, quippe Creatoris ſapientia in rebus ipſis conditis humano eloqvio metiri nequit; Ergo neque poſſunt ingenio compræhendi. Nam quæ ſermone explicantur, priùs mente intelligi neceſſe eſt. Quò pertinet illud Ariſtotelis 1. Metaph. 1. Argumentum ſcientiæ & cognitionis eſt docendi facultas.

Ful-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-128 4° 1037

XXXIV.

Fulcitur hoc ab inſufficientia oculorum & aurium, quæ tamen ſunt præcipua comparandæ ſcientiæ & cognitionis inſtrumenta. Nam etſi inſit homini videndi & audiendi appetitus, in eo tamen acquieſcere animus non poteſt, neq; enim oculus videndo, aut auris audiendo ſatiatur. Id qvod unà cum Salomone, exemplo ſuo teſtatum faciunt Philoſophi, Pytagoras, Plato, Ariſtoteles, & alij; qvi incredibili diſcendi deſiderio inflammati, ſuasq; laudes amplificandi causâ ducti, orbem peragrarunt, hauriendæ ſapientiæ ſtudio nunqvam defatigati.

XXXV.

Manet igitur complexum: Vanam eſſe ſcientiam, quæ de rebus pro arbitrio conſtituit. Ut enim nemo ſuâ doctrinâ id præſtat, ut diſcentium oculis & auribus ſatisfaciat, qvò enim plus diſcendo hauriunt, eò plus (hydropicorum inſtar) appetunt: ita neq; ipſe ingenio ſic abundat, ut res ſatis intelligat, deq; illis pro arbitrio conſtituat. Hoc tali ſyllogiſmo in noſtrum uſum convertimus: Proprium veræ felicitatis eſt appetitum ſatiare, ne ulterius appetat; aliâs finem ultimum non conſeqveretur: At ſcientia humanitus acqviſita appetitum non tranquillat, qvin imo ad ſciendum magis excitat, ut patet: Ergo in ſcientia humana felicitas non eſt poſita.

XXXVI.

Alterum argumentum notatur ab effectis v: 9. & 10. qvod nihil novi humanę ſapientiæ operâ fiat, vel dicatur, qvod ab alijs non ante dictum factumve ſit. Ut enim ſolis, ventorum, & aqvarum de qvibus ſuprà, perpetua eſt revolutio: haud aliter dicta hominum & facta occurrunt eadem, vel ſimilia.

XXXVII.

Quid rides? inqvit Horatius lib. 1. ſerm: ſat. 1. Mutato nomine de te, fabula narratur. Et Terent: in prolog: Eunuchi: nihil jam eſt dictum, qvod non ſit dictum prius. Quod ab Hieronymo hoc ipſo loco adductum eſt. Et addit Hieronymus, à præceptore ſuo Donato dictum eſſe, cum verſiculum iſtum exponeret; Pereant qvi ante nos noſtra dixerunt.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-128 4° 1037

XXXVIII.

Sola igitur humanæ cupiditatis inſana πλεονεξία eſt, quæ reb. præſentib. non contenta, eaſdem ſubinde veluti novas fingit, cùm tantummodò eædem recurrant. Tranſeunt omnia, inquit Seneca Epiſt: 24. ut revertantur, quippe in orbem nexa ſunt omnia. In eaſdem culpas qvotidiè offenſamus, earundemque rerum cupiditates identidem recrudeſcunt. Sic quod in verbis olim placebat, longoq; poſt attritu & faſtidio obſoleverat, rurſus antiqvâ recuperatâ Authoritate, placere incipit. Cujus rei exempla communis vitæ uſus nimis multa ſuppeditat.

XXXIX.

Maximè verò in Regnorum & Imperiorum reiteratis viciſſitudinib. hæc rerum fabula agitur, in qvib. nihil aliud fit, qvàm qvod fuit. Aliæ n: ex alijs naſcuntur politiarum formæ, ex Monarchia Dimocratia, & viceverſa, qvemadmodum unà cum experientia prudentes politici demonſtrant, & Plat: lib. 8. de repub. oſtendit.

XL.

Tertiò eandem humanæ Sapientiæ vanitatem ulterius confirmare nobis licebit, ex v: 11. ab adjuncta rerum oblivione, qvòd pleraq; humanæ ſapientiæ opera & monumenta vetuſtate & oblivione deleantur, & q: cum hominib. ipſis emoriantur. Nam quemadmodum anteactorum memoria perijt, qvoad nos; ita recordatio eorum quæ præſenti tempore geruntur, peribit ratione ſucceſſorũ; ita ut ad qvoſcunq; temporis articulos animum convertamus, præſentis, preteriti & futuri, rerumq; in hiſce temporum momentis geſtarum, memoria pereat: de qva morte rerum rurſus ait Horatius: Debemur nos morti noſtraq;.

XLI.

Hinc talis illatio ſequitur: ſi omnia tranſeunt, adeò ut memoria eorum non remaneat: E. etiam ſapientia ceſſabit, omneſq; artes & ſcientiæ temporum oblivioni ſubijcientur, nec perpetuò manebunt in animâ, ut conducant immortalitati.

XLII.

Sed enim cùm experientiâ qvàm voce longave rationum deductione docentes plus ſæpè proficiant: hac ratione, poſt argumenta generalia & ſpecialia, tandem ad ſingularia Eccleſiaſtes deſcendit, v: 12. ubi notata qvæſtio de humanæ ſapientiæ vanitate, è ſingulari

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-128 4° 1037

lari experientia Salomonis evidentius nobis demonſtranda venit, Primum verò hujus claſſis argumentum ſumimus ab adjunctis Perſonæ Salomonis, qvatenus ſe rurſus Eccleſiaſten appellat, q.d: ſapientiſſimum, & præterea Regem Jeruſchalaim. Ex qvib. conficimus hanc ipſius aſſertionem verã eſſe, in qva omnes acquieſcere deceat; cum ſc: & ſumma ſapientia præditus extiterit, & Rex ditiſſimus fuerit, qvi ad arbitrium omnia experiri potuerit.

XLIII.

Et qvod ad cogitationes attinet: Varios ſibi diſcurſus in mentem veniſſe affirmat, pro vario carnis & ſpiritus júdicio, dum in rerum uſu & examine verſatur. Ac in ſua perſona imaginem exprimit hominis, de certa atq; optimâ vivendi ratione anxiè cogitantis, omnemq; in partem ſeſe verſantis; ut in qvo vera felicitas conſtituta ſit, tandem reperiat.

XLIV.

Primò autem omnium v:13. ea in re ſe deluſum eſſe affirmat, de qva agimus, ſtudio videlicet ſapientię. Ea enim emphaſis vocis Hebrææ עִנְיַן, qvæ afflictionem denotat, ſive anxiam & moleſtam occupationem, cùm ſc: qvis animum rei cuipiam ita addixit, ut poſtqvam in ea ſe multum fatigavit, nihil ex eadem fructus reportet; qvale cum ſit ſtudium ſapientiæ, in eo felicitas eſſe non poteſt. Ratio ab effectu contrario notatur, quia hominem potius affligit, qvàm beat, & proinde non minus qvàm labor αὐταρχίᾳ repugnat, qvæ veræ felicitatis comes eſt individua.

XLV.

Atq; ut demonſtrationem afferamus omni exceptione majorem, dicimus rationem præcedentem evidentiſſimo oculorum ſenſu verificari v:14. dum ait ſe vidiſſe h:e: certo certius ſe comperiſſe ſapientiam illam vanam eſſe, & moleſtiæ plenam.

XLVI.

Sed ulterius idem confirmare pergimus ex v: 15. è comparatis minoribus, per vulgatam Dialecticorum regulam: Quod minus ineſt, nullo modo conceditur, ut magis ineſſe poſſit: At ſapientia humana, rerumq; operoſa perveſtigatio, adeò frigida eſt, ut ſæpè vix minimam rem contortam corrigere valeat: Quare multo minus cœleſtem & immortalem felicitatem ſubminiſtrare ſufficit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-128 4° 1037

XLVII.

De humana autem ſapientia diſſerens Salomon, porrò ait verſu 16. & 17. doctrinarum ſtudium eouſque ſe urſiſſe, ut ne qvidem ab ijs artibus abſtinuerit, qvibus homines non tantùm inſcitiam, verùm etiam ſummam ſtultitiam produnt. Talem verò πολυπραγμοσύνην aperte nominat הוֹלֵלוֹת וְשִׂכְלוּת inſaniam & ſtultitiam; item רְעוּת וְרַעְיוֹן רוּחַ: pabulum venti, & paſtionem ſpiritus. Qvòd ſcientia humanitùs acquiſita animum conterat & qvaſi depaſcat, dum in re inani & ardua perveſtiganda fruſtrà ſe fatigat.

XLVIII.

Tandem ut anchoram in portu figamus, rem totam concludimus ex ultimo verſu ab adjuncta moleſtia, cujus argumenti ſemina ſuprà ſparſa fuere: Quoniam in multitudine ſapientiæ eſt multa indignatio: Qvò abſq; fuco intelligere licet, ſapientiam humanam ſine fide & Spiritu non modò vanam eſſe, verùm etiam infinitis dubitationibus divexari, donec tandem hominem ira & confuſione repletum, in extremam deſperationem præcipitet. Nota eſt Ciceronis miſerrima exclamatio: O me nunqvam ſapientem. Et verſus ultimus operis Virgiliani:

> Vitaq; cum gemitu fugit indignata ſub umbras.

Sed de qverelis Philoſophorum ſatis muliebriter lamentantium, nimis longum foret ſingula perſeqvi.

XLIX.

Meritò igitur Deo gratias agimus, qvi ſe nobis in verbo ſuo patefecit, & non tantum in univerſali illa agnitione ſui, quæ omnium eſt communis, ſed lubrica admodum tenuiſq;, verùm etiam in peculiari certaq; ſui notitia ſolidè nos erudiri dignatus eſt, certaq; remedia adverſus carnis & rationis deſperationem in filio propoſuit. Ipſi gloria in omnia ſecula, Amen.

DISPUTATIO II.

EX

ECCLESIASTE SALOMONIS

περὶ εὐδαιμονίας, IN QUA EXPENDUNTUR quæſtiones Secundi & Tertij capitis, ſitne felicitas hominis in voluptate, vel prudentia civili conſtituenda?

Quam

D. O. M. A.

ad diem 21. Decembris publicæ cenſuræ ſubjiciet

HERMANNUS NICOLAUS,

Reſpondente

MARTINO MATTHIÆ, Hafn.

HAFNIÆ,

Ex Officina

HENRICI WALDKIRCHII,

Anno ſalvatoris noſtri Jeſu Ch.

M. DC. XVI.

2

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-128 4° 1037

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-128 4° 1037

THESIS I.

IN Eccleſiaſte Salomonis , hoc præcipuè verſatur in quæſtione : Quodnam ſit bonum homini propoſitum , ut in illud tanquam ſummum ſuæ felicitatis ſcopum omni conatu feratur. Digna imprimis contemplatio , cui multum temporis in vita tribuendum : quippe in qua utilitas cum neceſſitate contendat.

II.

De hac quæſtione cum jam olim , variæ extiterint hominum opiniones ; alijs in alijs rebus veram felicitatem ſtatuentibus : horum Sententias Salomon in Eccleſiaſte expendens, errores atq; incertitudines eſſe ipſe audactèr pronunciat.

III.

Expoſitâ autem ſuperiore diſputatione ex cap. 1. ſententiâ Herilli & aliorum , qui hominis felicitatem ſtudio ſapientiæ definitam voluerunt : ratio ordinis exigit , ut nunc quæſtiones Secundi & Tertij cap. deinceps excutiamus.

IV.

Hic autem primò ſe offerunt Epicurus , Eudoxus , Ariſtippus & ſimiles voluptatum carybdes. Poſtquam enim demonſtratum eſt, felicitatis rationem ſtudio ſapientiæ haud contineri, quod hoc ſit laborioſum & moleſtiæ plenum, proindeq; plus vanitatis quam felicitatis in ſe contineat : illis hi proximi ſunt inventi , qui per antitheſin felicitatem quæſiverunt in voluptate tanquam re ſuavi & otioſa, prioriq; diſtinctè oppoſita.

V.

Sed oſtendit Salomon ab initio Capitis ſecundi , cum veræ felicitatis ratio initur , nullam in partem cadere voluptatis quæſtionem ; intelligens non illam virtutis & pietatis , ſed corporis & ſenſus, quæ non in hominis, ſed animalis eſt natura.

VI.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-128 4° 1037

Ut autem humanæ cogitationis voluptatum fluctibus æſtuantis imaginem apertius ante oculos ſtatuat; orditur à μιμήσει, qua ſe ipſum compellans, hortatur, ut poſthabitis rebus omnibus, Genio & voluptatibus effuſè indulgeat. v. 1.

VII.

Et quæ fuerint novæ illæ de novo vitæ genere cogitationes, poſt explorata humanæ ſapientiæ myſteria, his verbis oſtendit. Dixi in corde meo; veni nunc, probabo te in lætitia, & vide bonum &c. Quod genus locutionis notat de re quapiam ita cogitare, ut certi quippiam concludatur; ſicut videre bonum, eſt voluptatibus ſe oblectare eiſq; in ſolidum perfrui. Inde nato apud Hebræos loquendi genere, quod in eam rem quam amamus, animum intentè atq; oculos defixos habeamus.

VIII.

Sed quæſtionem de voluptate, ut indignam de qua prolixa diſputatio inſtituatur, abrumpit v. 2. ſatis eſſe ratus, qualis ea ſit cominùs oſtendiſſe, è duobus ſatellitibus, quibus ea ſtipata incedit, Riſu videlicet inſano & effuſa lætitia. Ac forma ratiocinij talis eſt: Voluptas comites habet ſtultos & inſanos: Ergo ipſa eſt ſtulta & inſana.

IX.

Riſui autem & lætitiæ hic attribuit, quod illis qui riſui & lætitiæ præter rationem & modum indulgent, vulgus hominum attribuere ſolet; genere locutionis eo, quo exclamat ille: ô tempora, ô mores.

X.

Et ſic appellatione riſus intelliguntur quævis ludicra, quibus ſatagit mortalis infirmitas moleſtiam carnis excutere, ut ubertìm genio indulgeat: per lætitiam vero ipſa ἡδονὴ, quâ ſenſus ſic perfunduntur, ut affatim delicijs diffluant.

XI.

Porrò vocat riſum inſanum, ſeu inſtitutâ voluptatis proſopopeiâ, eidem in faciem exprobrat, quòd inſaniat. Nempe de induſtria eam velut præſentem compellans, ut rem q. penicillo delineat, oſtendatq; voluptatem homines vecordes & inſanos reddere,

dere, dum obfuſcatâ mentis luce, in ipſorum animis rationis offi-cium interturbat.

XII.

Eodem loquendi genere, lætitiam nil agere nilq; prodeſſe affirmat; quod non modo inutilis & infrugiferus ſit voluptatis ſenſus: ſed & funeſtiſſima ſæpenumero illius cataſtrophe.

XIII.

Aſſumptum probaturus, adeoq; hanc quæſtionem ſingulari experientia ſua ad propoſitum perducturus, ait ſe experientia certiſſima monitum certo comperiſſe, vaniſſimam eſſe voluptatis hujuſcemodi fruitionem.

XIV.

Sic breviter ac dilucidê diſcuſsâ voluptatis quæſtione, eaq; è felicitatis regno eliminatâ; aditum ſibi parat v. 3. ad tertiam quæſtionem de prudentia civili. Quam ſic inſtituit, ut primum ſpecies ſeu partes ejus proponat; deinde idonea remedia huic etiam vanitati opponenda inveſtiget.

XV.

Cum autem civilis prudentiæ partes duæ ſint, Oeconomica quæ in re familiari conſtituenda occupatur; & Politica quæ ipſius prudentiæ pars eſt præcipua, nempe cujus ſpecies ſunt νομοθετικὴ (ipſa ſc: juriſprudentia) quæ ſubdividitur in βουλευτικὴν conſultatoriam, quæ æſtimatis cauſis & principijs humanarum actionum, ad eventus moderandos conſilia præſcribit; & δικαστικὴν quæ de eventis judicat: primum de ea parte ſibi agendum proponit, quæ in re familiari prudenter conſtituenda & facienda verſatur, eamq; rei familiaris augendæ & exornandæ rationem, per enumerationem partium, ſeu diſtributionem integri in ſua membra ordinatê perſequitur.

XVI.

Ait enim ſe ædificaſſe domos & plantaſſe vineas v. 4. exſtruxiſſe hortos atq; in eis arbores omnis generis conſeviſſe v. 5. piſcinas quoq; aquarum effodiſſe, quæ ſylvam pomiferam irrigarent v. 6. comparaſſe ſibi ſervos & ancillas, gregeſq; pecorum innumeros v. 7. coacervaſſe deniq; theſaurum ingentem auri & ar-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-128 4° 1037

genti, magnumq; numerum cantorum, fidicinarum & mulierum ex præda addidiſſe v. 8. adeo ut opibus & conſertiſſima divitiarum omnium varietate & affluentiâ, reges omnes qui eum ætate antecesſerant, facile ſuperarit: interea ſapientiæ ſtudio non rejecto v. 9. & 10.

XVII.

Verum his ita paratis & operoſè conſtitutis, ſubjicit ex tot tantiſq; laboribus exantlatis, nil ſe percepiſſe præter vanitatem & afflictionem ſpiritus. Unde eadem & planè συνώνυμος eſſe vanitatis κατηγορία in prudentia Oeconomica concluditur, quæ antea in ſcientiæ & voluptatis conſideratione fuerat.

XVIII.

Licebit igitur hanc ratiocinationem hujuſcemodi ſyllogiſmi vinculis fortiter illigare: Si in omni apparatu Oeconomico felicitas hominis eſſet poſita, utiq; eam Rex Salomon, ſi quis alius, expertus fuiſſet: At Salomon in ſplendidiſſimo ordinatiſſimoq; apparatu Oeconomico non felicitatem ſed vanitatem eſt expertus: Ergo in prima ſpecie prudentiæ Civilis, Oeconomiæ ſc: adminiſtratione planè non eſt ſolida felicitas quærenda. Nam ex asſumptione partibus omnibus negata, concluſio negativa infertur; quod hæc imitetur partem debiliorem.

XIX.

Sic quoq; priore parte prudentiæ Civilis negata v. 11. tranſitio eſt ad alteram v. 12. figurata communicatione Rhetorica, per collationem imparium. Ait enim, quid eſt homo, qui venit poſt Regem? ſubindicans neminem mortalium eſſe, qui plura experiri potuerit, quam ipſummet Salomonem, qui & Rex ditiſſimus fuit, & exactiſſimam rerum intelligentiam Divino munere eſt conſecutus 1. Reg. 4.

XX.

Porrò in hac quæſtione retinetur nomen ſapientiæ ſive ſcientiæ ſicut prius cap. 1. interim ſapientiæ vocabulo hic non intelligenda venit ſcientia contemplativa & indagatrix rerum, de qua ſuperius: verum Civilis prudentia & actuoſa rerum cognitio ut

dictum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-128 4° 1037

dictum eſt. Quippe nullâ importunâ βαττολογίᾳ Salomonem hic uſum fuiſſe conſtanter arbitramur.

XXI.

Sed de humanæ Prudentiæ inanitate acturus, nonnulla præfatur per πρόληψιν, ne prudentiam & ſtultitiam temerè confudiſſe exputetur. Quia enim jam dixerat etiam prudentiæ ſtudium inane eſſe : ſi quis inde colligat, inter Prudentiam & inanem ſtultitiam nihil eſſe diſcriminis : præfatur ſe vidiſſe, hoc eſt, certò comperiſſe, quam longè maximum ſit inter utramq; diſcerniculum.

XXII.

Hoc declaratur v. 13. explicata ſimilitudine Lucis & tenebrarum. ut enim lux formas rerum diſtinguit, eaſq; cognoſcendas oculis exhibet; contra quæ in tenebris verſantur, permixta & confuſa manent omnia: ſic prudentiæ vi mens illuſtrata, bonum à malo, verum à falſo diſcernit atq; diſtinguit; cùm è contra ſtultitia in obſcura rerum ignoratione verſetur.

XXIII.

Sed notatum prudentiæ & ſtultitiæ diſcrimen manifeſtius explicatur v. 14. ab adjuncto ſive eventu communi per epanorthoſin. Etenim Prudentia ſagax eſt & perſpicax, ècontrà ſtultitia cœca & improvida : At non eſt ita efficax, ut de rebus pro arbitrio conſtituat, earumq; eventus regat & gubernet. Unde non eſt, ut ſibi quiſquam in prudentiæ ſtudio placeat, quaſi cum prudenter quidpiam inſtituerit, planè ſit ſucceſſurum; cum etjam optimè cogitata ſæpè peſſimè cadant.

XXIV.

Ex his ratio per repetitionem prioris illationis, talem paralogiſmum texit v. 15. ſi ſtultos ac prudentes eadem ſors manet, ut communi eventui laborum & periculorum, ignominiæ deniq; & mortis æqualiter ſubjiciantur; præſtat Bacchi cyphos movere, & veneris ludos exercere, quam ardua prudentiæ obire munera. Sed utcunq; antecedens admittatur ex parte fortunæ & ratione peccati, ſi quis ſpreto verbo Dei & timore ejus, prudentiæ ſuæ

confi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-128 4° 1037

confidat: interim tamen quod hinc in conſequentiam aſſumitur, unum de abſurdiſſimis eſſe Salomon ipſe affirmat.

XXV.

Sed pergit Ratio confirmationem paralogiſmi ſuperioris hanc addere v. 16. Certa mors prudentes pariter & ſtultos falce ſuâ demetit, eoſq; perpetuâ oblivione delet: ergo inanis eſt labor, qui comparandæ prudentiæ impenditur. Reſpondet Eccleſiaſtes negativè per interrogationem more Hebræorum: & quomodo morietur ſapiens cum ſtulto? Q. d. latiſſimum eſſe diſcrimen inter hujus & illius interitum. Quid, quòd Ratio ipſa dictitet ſapientem à ſua ſapientia ſuperſtitem fore atq; immortalem.

XXVI.

Interim manet generalè enunciatum v. 17. Omnia vanitas, etiam quoad prudentiam civilem. Etenim quicquid conatur mortalis infirmitas, quibuſcunq; ſe muniat ſapientiæ vel prudentiæ adminiculis; eſt tamen vanitati obnoxia, quod ſapientia humana non ſit αὐτάρκης, quæ ad veram felicitatem inveſtigatur.

XXVII.

Verùm hinc Ratio alium paralogiſmum texit, ab incommodo, quod prudentis mortem conſequitur v. 18. 19. quia ſc. futurum eſt, ut alteri ſimus bona noſtra relicturi, incerti plerunque ſapiensne an ſtultus ſit hæres ille futurus. ut vel hac ratione, laxandum ſit impatientiæ frenum, rerumq; omnium abjicienda diſpenſatio.

XXVIII.

Hanc vanitatem Salomon ipſe ſenſit, cujus filius Roboam regnum præclarè conſtitutum ſibiq; traditum vecordi temeritate perdidit. Interim conſequentia illa ſolidum non tinnit. nam ſcimus in hac vita nos peregrinari tantum, ideoq; hinc emigrandum, & hæredem à Domino conſtitutum.

XXIX.

Hoc tantùm ſequitur, quod & in hac diſputatione præcipuè intenditur, videlicet humanæ prudentiæ auſpicijs felicita-

tem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-128 4° 1037

rem non eſſe metiendam. quæ ſententia continua diſputatione inculcatur & plenè abſolvitur v. 20, 21, 22, 23.

XXX.

Etenim ſi homo, qui nihil reliqui facit, quin ſummâ prudentiâ ſummaq; induſtria res ſuas ita adminiſtret, ut felicitatem inde nonnullam conſequatur, tamen in eas anguſtias ſæpè incidit, in quas vel inſipientiſſimus quiſque: &, ſi prudentia humana utcunq; ſagax & circumſpecta, cavere tamen non poteſt, ut ignotus hæres non ſuccedat: Ergo multò minùs vera felicitas humanæ Prudentiæ auſpicijs eſt inveſtiganda.

XXXI.

Atq; hactenus ἀνασκευὴ ſeu refutatio bonorum, in quibus ratio felicitatem aucupatur: ſequuntur remedia humanæ prudentiæ vanitati opponenda, in quorum commemoratione εὐμεθόδως via ſternitur ad futuram felicitatis demonſtrationem v. 24. facto initio ab αὐταρκείᾳ ſive animi ſatietate. Ut enim inanitas infelicitatis, ſic animi tranquillitas felicitatis comes eſt individua.

XXXII.

Primum ergo remedium eſt αὐταρκεία, quæ in vero & legitimo uſu rerum, quas natura ſatis largo cornu ſuppeditat, verſatur, Quem uſum hîc vocabulis edendi & bibendi ſimpliciſſimè interpretatur. nec alio ſenſu accipienda ſunt, quæ ait Salomon, nihil eſſe homini melius, quàm ut edat & bibat, oſtendatq; animæ ſuæ bonum de labore ſuo.

XXXIII.

Et quia exemplum docentis à ſua perſona, ad diſcentium animos potenter erudiendos eſt longè efficaciſſimum: ait v. 25. ſuo experimento condocefactus, ſe didiciſſe, primum felicitatis gradum eſſe, ut homo rebus ſuis contentus, eiſdem legitimè utatur ad Dei creatoris celebrationem & proximi ſublevationem: nec quicquam æquius cenſeri, quàm eum rebus ſuis frui, qui eas labore ſuo comparavit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-128 4° 1037

XXXIV.

Hunc ſolidum rerum uſum Dei donum eſſe probat v. 26. per comparationem αὐταρκείας & vanitatis. Ut enim anxia & irrequieta comparandarum rerum ſolicitudo afflictio eſt & pœna divinitus inflicta improbis & hypocritis : ſic αὐταρκεία Dei donum eſt & argumentum Divinæ bonitatis erga pios & obedientes.

XXXV.

Circa hunc rerum uſum peccant , & munificâ manu Dei abutuntur , qui rebus , quas ille temperanti hominum uſui permiſit , ſeipſos velut mancipia ſubſternunt. Quo in genere hic concurrunt , quanquam diſparatis paſſibus , *Avari & Prodigi.* illi immoderatâ cupiditate habendi & acquirendi , hi inſana intemperie perdendi : illi nimiâ tenacitate & abſtinentia , dum res attingere non ſuſtinent : hi effusâ prodigalitate , dum omnia ſtolidè profundunt.

XXXVI.

Alterum remedium eſt v. 1. cap. 3. ne homo ſua prudentia ſeipſum regere moliatur , quaſi rerum & temporum momenta homini eſſent ſubjecta : verum potiùs , ut abjectâ ſuperfluâ curâ & intempeſtivâ ſolicitudine , de Dei providentia , cujus conſilio & cura omnia ſapienter reguntur & in tempore diſponuntur , ſeriam cogitationem inſtituat.

XXXVII.

Hæc verò theſis probatur per inductionem rerum diverſarum , quæ in tempore fiunt , & ſunt duum generum. nempe naturales quæ naturâ conſtant , & civiles quæ in conſilijs, inſtitutis, & actionibus hominum verſantur.

XXXVIII.

Inductio eſt v. 2. ab hujus vitæ naturalis cùm initio ſive ortu & nativitate, tum extremo ſive obitu & morte. Inter quæ civilia quæq; tanquam intermedia conſiderantur.

Ortum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-128 4° 1037

XXXIX.

Ortum quod attinet, definiti ſunt non ſolum noſtræ, verum etiam aliarum rerum omnium v. g. plantarum, nativitatis & mortis articuli; ita ut plantæ ſuum tempus habeant quo plantantur, adoleſcant, & poſtquam maturuerunt, demetantur. Unde conſtans illatio eſt, hoſce articulos humanâ prudentiâ mutari non poſſe.

XL.

Rebus intermedijs actiones omnes Oeconomicæ, matrimoniales & Politicæ involvuntur. Et quidem Oeconomicæ atq; Politicæ intelliguntur dum ait ver. 3 & 4. tempus eſſe lucrifaciendi & jacturarum, atque in politica adminiſtratione, rem in occaſione quæri atque amitti; quod hic per colligere & diſpergere lapides ſimpliciſſimè adumbratur. Quibus rebus matrimonij ratio conjungitur vocabulo amplexandi ver. 5. quo ſubindicatur conjugium humani generis ſeminarium imprimis Deo curæ eſſe, adeoq; hominibus hoc ſtatu ſociatis ab ipſo unicè pendendum.

XLI.

Quod autem primum quærere & perdere dicitur v. 6. mox ſcindere & conſuere nominatur v. 7. pro inſtaurare & reſarcire jacturam. nam eadem rei familiaris & politicæ faciendæ viciſſitudo alijs atq; alijs dicendi generibus indigitatur.

XLII.

Tacendi ſimul & loquendi tempora non abs re adduntur v. 8. Quippe in quibus maximum ad res gerendas per totam vitam momentum eſt conſtitutum. Nec prætermittuntur ea, quæ in vita communi longè lateq; dominantur, odium & amor inter Perſonas privatas, & inter majores communitates Pax & bellum &c. quæ omnia à Deo gubernari, & Dei verbum profitetur, & certiſſima rerum experientia confirmat.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-128 4° 1037

XLIII.

Non tamen hæc à nobis ſic dicta quiſquam exputabit, quaſi ſtoica & abſoluta neceſſitate omnia fieri ſtatuamus: verum ut hæc actionum exempla documento ſint, nil quicquam in noſtra poteſtate eſſe; ſed præpotentis Dei manu univerſa contineri, ejuſq; providentiâ ſapientiſſimè regi & gubernari: ideoquè εὐκαιρίαν in omnibus vitæ actionibus ab ipſo expectandam. Ex quibus ſimul liquet, quænam ſit prudentia, quam Eccleſiaſtes tantopere exagitat, & vanam eſſe proclamat; nempe quæ de rebus adverſus tempus & ordinem â Deo conſtitutum, pro arbitrio conſtituit.

XLIV.

Porrò tandem è ſingularium inductione, hæc concluſio generalis ſequitur ver. 9. ergo prudentia illa eſt vana & inanis fagitatio, ut in ea felicitas non ſit quærenda. quæ complexio figuratè, nempè per interrogationem inſtituitur, more Hebræorum.

XLV.

Deniq; complexio illa & inanis fatigatio, qua homo etiam hoc modo ſe excruciat ſub ſole, amplificatur à cauſa efficiente ver. 10. ubi dicitur Deus dediſſe hominibus malam iſtam occupationem, ut in ea ſe affligent.

XLVI.

Sed cauſa illa efficiens diſtinguitur in propriam ſeu per ſe, & impropriam. Deus creavit omnia pulchra ver. 11. h. in tempore, pondere & menſura, reſq; univerſas ita conſtituit, ut homines earum uſu ſvaviter affecti, ipſum authorem agnoſcant & celebrent. At poſtquam nolunt homines in illa providentia creatoris acquieſcere: accidit ipſis omnem uſum rerum inſvavem fieri, multaq; ipſis peſſimè ſuccedere.

XLVII.

Hoc ſenſu dicitur Deus dediſſe hominibus malam iſtam occupationem. non quod Deus ſit cauſa per ſe culpæ, cum ſit ἀναίτιος κάκȣ, ut præclarè olim locutus eſt Plato: ſed quod homo transgreſſor ordinis Divini ſuâ temeritate impellat Deum, ut hanc afflictionem tanquam inobœdientiæ pœnam juſtiſſimam transgreſſoribus infligat.

XLVIII.

Ut autem hæc demonſtratio pondus habeat, amplificatur repetitione remedij prioris v. 12. hoc verborum ſenſu: ſi omnia rerum momenta regat providentia Divina, nec poſſit homo ſuâ prudentiâ Divinam Providentiam illudere: præſtat abjectâ ſuperfluâ curâ, & intempeſtivâ ſolicitudine, rebus præſentibus ſobriè uti in timore Dei, adeoq; Divinæ providentiæ ſe committere: Sed verum prius; Ergo & poſteriùs.

XLIX.

Hic ſobrius rerum uſus (qui ſingnlaris beneficij Divini loco jure merito eſt habendus: quippe in quo cernitur vera animi ſatietas, quæ ad felicitatem inveſtigatur) ſimpliciſſimè iterum indicatur vocabulis edendi & bibendi v. 13. ſicut prius.

L.

Tertium remedium humanæ prudentiæ oppoſitum ab immutabili lege Dei ſtatuitur v. 14. Quod enim Deus facit, ſtatuit ac decernit, erit in ſeculum h. e. firmum & ratum, cui nihil addi poteſt nec detrahi ſc. ut humanâ ope ac prudentiâ tantillum vel perficiatur vel immutetur: Ergo Divinæ providentiæ nos plena fiducia committamus, eumq; ſolum *timeamus & revereamur.*

LI.

Hæc Divinæ providentiæ conſtantia, firmitas, & lex immutabilis, declaratur rerum naturalium effectis & adiunctis perpetuis v. 15. Etenim opera Dei in natura firma ſunt & ſtabilia. Cœlum & Elementa ordine & ſtatu ſuo conſervantur; & in rebus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-128 4° 1037

corruptibilibus ſpecierum propagatio eſt perpetua, alijs intereuntibus; alijs ejuſdem generis renaſcentibus. Ut igitur hæc naturæ lex eſt perpetua: ſic decreta Dei in rebus humanis ſunt firma & rata, ut humanâ prudentiâ mutari non poſſint.

LII.

Sed humanam Prudentiam excipit Quæſtio de virtute. de qua ſubſequente diſputatione, volente Deo, ex inſtituto eſt agendum. Hac enim methodo ad ſummum bonum ſeu felicitatem, nempe Deum ejuſq; timorem (qui ſcopus totius concionis eſt proprius) paulatim fit acceſſus.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-128 4° 1037